

creationem, ejus diversa fata ab ejus origine auspiciantes persecuti sumus usque ad interitum ac sortem, quæ ipsum in æternum manet pro diverso cujuslibet statu ac merito. Quare, ut verbis S. Augustini tractatum absolvamus, quare ipsum donum Dei cum Patre et Filio æquè incommutabile colere et tenere nos convenit: unius substantiæ Trinitatem, unum Deum à quo sumus, per quem sumus in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permisi sumus: principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam quæ reconciliamur: unum Deum quo auctore conditi sumus, et similitudinem ejus per quam

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

PROOEMIUM.

Manifeste magnum est pietatis sacramentum, inquit Apostolus, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (Tim. 3.16). Ast ipsa magnitudine sua mysterium hoc imbecilliorum oculis perstrinxit, qui Dei opera ex proprio sensu dimetiri solent. Quare quovis tempore acerrimi dominicæ incarnationis hostes prodierunt. In duas classes disperuntur: alii enim ipsam penitus rejiciunt, alii germanam dominicæ incarnationis fidem labefactare adnituntur. In primo censu veniunt Hebræi et increduli, et qui his fere annis iis suppetias tulerunt rationalistæ; in altero vero hæretici diversæ denominationis.

Cum nobis negotium sit adversus utrum-

PARS PRIOR

De Messia adversus Hebræos.

Quæ ad Messiam doctrinam referuntur, revoari possunt ad ipsius promissionem et expectationem, ad ejusdem adventus epocham, munia et officia, ad personam denique in qua hæc omnia effectum sortita esse conspiciuntur. De singulis propterea totidem capitibus ex ordine agemus.

CAPUT PRIMUM.

DE MESSIE PROMISSIONE ET EXPECTATIONE.

Duplex distinguitur error circa ejusmodi articulum, quorum alter eorum est, qui negant unquam fuisse a Deo Messiam promissum atque ab Hebræis expectatum; alter vero est eorum, qui, utroque dato, tum scilicet Messiam promissione tum expectatione, sub Messia tamen nomine non peculiarem ac determinatam personam, sed quemlibet temporalem liberatorem designari autumant. Primum adstruunt illi omnes ex Germania præsertim (b), qui nuspam in sacris litteris,

(b) Jam sub finem seculi elapsi, quo longe lateque cuncta innovandi cupido et receptæ fidei fundamenta evertendi furor in Germania animos protestantium invaserat, ac diffundi cœperat, hoc commentum ortum habuit, opinionem scilicet de venturo Messia non incidisse Hebræis ante Davidem; tum vero sub hoc bellicosissimo rege, cum eorum nomen et potentia valde excrevisset, in spem eos venisse fore ut totius terrarum orbis potirentur imperio; atque hunc regem suum, sub quo istud futurum esset, suum sibi constituisse Messiam solo imaginationis æstu ductos. Scri-

ad unitatem formamur, et pacem quæ unitati adhærens: Deum qui dixit, Fiat; et Verbum per quod factum est omne quod substantialiter et naturaliter factum est; et donum benedictionis ejus, quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est: unum Deum quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruente beatè vivimus: unum Deum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula (1).

(1) De verâ Religione, col. 200, l. 6.

que hominum genus, ideo majoris perspicuitatis gratia tractationem nostram in duas præcipuas partes dividimus, in quarum priori ea omnia complectimur, quæ ad Messiam referuntur, in posteriori, quæ ad Christum ipsum seu incarnatum Dei Verbum ac totius mysterii œconomiam spectant.

Si qua porro est theologiæ portio, quæ curas nostras, studium ac sedulitatem postulet, primas profecto hæc sibi vindicat, sive adversariorum numerum, impetus atque constantiam spectes, sive rei ipsius, de qua agitur, gravitatem atque difficultatem. Deo propterea auspice, magna animorum alacritate et contentione ad propositum nobis fidei certamen descendendum est ab eo auspiciantibus quod primo loco proposuimus.

multo vero minus in Pentateucho ejusmodi promissionem reperiri affirmant, Messiam autem expectationem non esse nisi consolatoriam quamdam spem postremis judaicæ reipublicæ temporibus invecram exasperam intellectus obscurioribus quibusdam prophetarum locis. Ex hoc principio alter prodiit error, quem non ita pridem adstruxit Salvador, qui contendit nullum peculiarem ac de-

psit integrum librum de hoc argumento Henricus Stephanus, qui editus est Norimbergæ an. 1787.

Imò eo res progressa est, ut Harlemi in Hollandia societas theologorum an. 1792. præmium proposuerit ei qui melius solvisset problema: extente prophetiæ in V. T. ipsum Christum proprie concernentes. Scriptum porro super hoc argumento societati obtulit Jo. Konyenburg, quo negavit ejusmodi existere prophetias, ac præmium tulit. Hæc autem lucubratiō postea typi edita est; cumque eam recensisset Eichhorn Biblioth. suec. t. VII. p. 354. præmissa ejusdem historia et occasione, addit, rem hanc, de qua in Hollandia ejusmodi dubium vigerat, nullam in Germania excitationem fuisse questionem: de qua nihil novi jam posset dici; quæ plene discussa summa cum libertate jam a quinquennio hic defensa esset. Cf. Jo. Nep. Alber e Sch. Pii Institut. hermeneut. Scripturæ Sacræ Pestini 1817. T. I. Prologomena, p. 40. seq. Idem paradoxum de consolatrice spe concepta a Judæis de Messia subsequentibus temporibus jam pridem Voltaire effutierat in op. « Fragments sur divers sujets par ordre alphabétique, art. Messie, opp. edit. Genev. 1777. t. XXVIII.

terminatum Messiam in lege promitti, sed in genere quemcumque temporalem salvatorem, qui populum israeliticum a servitutis et oppressionis statu in libertatem vindicaverit atque tutaverit. Ex quo infert tot jam advenisse Messias, quot populo suppetias tulerunt, eumque liberarunt non solum ex Hebræorum gente, verum etiam ex exteris gentibus licet idololatris, cujusmodi inter cæteros fuit Cyrus, qui in scripturis Christi seu Messiam nomine donatur. Quo sensu vere dici posset tum Messiam advenisse, tum adhuc esse venturum (a).

Ab his parum abludunt Sansimoniani, qui fabulantur per Messiam non significari nisi quemlibet politicæ libertatis assertorem ac propagatorem, vel etiam humanæ naturæ moralem restauratorem, qui multiplex pariter esse potest, quandoque etiam femina (b).

Hos quidem omnes possemus jure contemnerere, nisi iis arma suppeditasset rationalistæ, qui fucatae cujusdam eruditionis apparatu totam Messianismi ut vocant, aut Christologiæ Judæorum doctrinam labefactant. In istorum enim hypothesi non esset Messias nisi fundator aut conditor cujusdam idealis regni felicissimi quasi auræ ætatis a prophetis varie descriptæ et genti judaicæ promissæ, tum maxime illius verorum Dei cultorum societatis ad honeste beateque vivendum in terrarum orbe instituendæ, et in vita futura continuandæ novaque felicitate ornandæ; cujus spei semina in V. T. libris sparsa reperiuntur (c).

Ut igitur ejusmodi commentis obviam eamus, et fundamentum præjiciamus eorum, quæ in priori hujus tractatus parte disceptanda erunt, duo à nobis constituenda sunt: primo quidem ostendendum est aliquem Messiam fuisse a Deo promissum et quovis tempore ab Hebræis expectatum: secundo promissum hunc Messiam peculiarem, unicum ac determinatum esse. Postremum enim error,

(a) Hist. des institutions de Moïse et du peuple hébreu par J. Salvador. Paris 1828. t. III. sec. part. liv. IV. Des prophéties politiques de Moïse et des Messies.

(b) Recolantur quæ scripsimus vol. II. tract. de Deo n. 237. n. (b). Cf. Rosmini op. c. Frammenti di una storia dell' empietà Mil. 1834. p. 163. « Una nuova forma, inquit, di questa antica deificazione della carne, parmi quella che usano i sansimoniani, quando dicono di andar cercando non pur la femina libera, ma la femina Messia. Il loro capo nell' udiencia de' 28 Agosto 1832. dove fu condannato egli e la sua setta come rei di pubblica oltraggiata morale, non dubitò di dire: che egli credeva essere il precursore di questa femina Messia, come s. Giovanni è stato per Gesù!! »

(c) Ita passim rationalistæ et biblici neoterici Cf. Wegscheider Inst. theol. christ. dogm. § 120. n. (i), qui tamen perperam pro hac sententia citat Schoetgenium, qui e diametro ipsi adversatur, ut postea videbimus. B. Koppe in Novo Test. græce perpetua annotatione illustrato Götting. 1791, vol. VI. excursu I, ad epp. ad Thessal. de regno Christi in N. T. formulis ἀποκαταστάσεως Θεοῦ, etc., non aliam Hebræis regni Messiam ideam inhassisse, quam regni temporalis theocratici modis omnibus evincere nititur, et quod magis mireris p. 108, hanc eandem opinionem Jesum ipsum concepsisse!

qui versatur circa Messiam qualitatem commo- dius disjicietur, cum recurret sermo de ejusdem munis et officiis.

PROPOSITIO PRIMA.—*Aliquis Messias fuit a Deo in lege promissus et quovis tempore ab Hebræis expectatus.*

Aliquis enim Messias fuit a Deo in lege (a) promissus atque ab Hebræis quovis tempore expectatus, si I. id perspicua ostendat scripturarum, præsertim vero Pentateuchi oracula; si II. id ipsum confirmetur ex perpetua ac nunquam interrupta Hebræorum tum antiquorum tum recentiorum traditione, nec non traditione omnium ferme populorum.

Jam vero ad scripturarum oracula quod attinet, nota sunt, quæ Gen. III. 15. Deus serpenti, seu potius dæmoni sub serpentis larva latenti comminatus est illis verbis: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conferet caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus ». Quæ verba merito passim προτετευρηθησιν vocantur, illis siquidem primo Deus spondit per semen mulieris caput deceptoris, dæmonis nempe, aliquando contritum iri, hominem autem in libertatem asserendum ab illa servitute, in quam misere per peccatum se conjecerat, prout oraculum istud universa intellexit antiquitas. Etenim Sap. II. 24. legitur, quod invidia diaboli mors intraverit in orbem terrarum; Christus pariter Jo. VIII. 44. diabolo protoparentum lapsus adscribit; clarissime vero Apoc. XII. 9. « Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem » (b). Hinc passim a Judæis malorum dæmonum princeps serpens velus vocatur (c). Documenta, quæ evincunt eandem traditionem viguisse apud antiquos Asiæ populos suo loco dedimus (d). Nullum itaque dubium esse potest quin cit. loco agatur de lapsu, ad quem protoparentes a dæmone inducti sunt, ac propterea de eorumdem, imò totius humani generis a peccati ac dæmonis servitute futura liberatione per promissum Salvatorem seu Messiam (e).

(a) Sub generali legis nomine, ut notum est, veniunt quinque Moysis libri, atque hoc sensu adstruitur propositio.

(b) Καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλοῦμενος διάβολος, καὶ ὁ σαταῖας, ὁ πλάτων τῆς οἰκουμένης διην.

(c) מקדמוני הנהגה loca e scriptis Judæorum collegit Eisenmenger in op. inscripto: Das entdeckte Judenthum seu « Judaismus detectus, » vol. I, p. 822.

(d) Tom. III. n. 580 not. (a).

(e) Eruditam dissertationem de hoc argumento dedit Cornet. de Hase inscriptam « De protevangello paradisiaco Diatribe » in novem capita distributam, et hoc ut vocat oraculum oraculorum omni ex parte versat ac tuetur. Prostat in Thesaurio theologico-philologico sive Sylloge dissertationum, etc. Amstelod. 1701, vol. I, fol. pag. 67, seqq. Cf. etiam Sherlock. « L'usage et les fins de la prophétie, » trad. de Fagel, Paris 1754, tom. I, discours III, pag. 400. Du fameux oracle de la Genèse, III, 15, qui pariter copiose de hoc argumento dissertit. vid. Nicolai S. J. Sul Genesi lez. XXVII, XXVIII. Perperam Ammon Bill. Theol. II, 49, seqq. hoc vaticinium protevangeli nomine insignitum de universo hominum et serpentum

Nec destitit Deus sequentibus temporibus ab hujus promissionis fide identidem in hominum mentibus insculpenda, ut viva semper servaretur, imo quo propius accedebat implendae hujus promissionis tempus, eo clariora et illustriora eadebat oracula, ut hac spe homines recrearet ac solaretur. Etenim Genes. XII. 3. XVII. 18. XXII. 18. promisit Deus Abraham in ejus semine omnes gentes benedicendas fore, quas promissiones Genes. item XXVI. 4. et XXVIII. Isaac et Jacob renovavit. Agi autem in adductis locis de benedictione per promissum Salvatorem obtinenda patet ex constanti Hebraeorum sensu ac traditione, juxta quam Apostolus Gal. III. 8. eam de Messia exponit dicens: « Providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abraham: quia benedicentur in te omnes gentes (a). » Ex quibus verbis exploditur neotericorum expositio de Cognitione Dei per Abraham posteris inter gentes disseminanda. Id ipsum aperte confirmatur ex celeberrimo Jacobæo oraculo, nec non ex ceteris prophetarum vaticiniis in quibus tempus, locus promissi Messiae, nec non ejusdem Messiae proprietates, munia et officia distincte prænunciantur, quæ inferius singillatim expendemus.

Atque hinc factum est, ut omnes Judæorum sectæ, pharisæorum nempe, sadduceorum, esseniorum, herodianorum ex antiquis, atque ex recentioribus karaitarum, qui traditiones respuunt (b) et rabbanitarum qui eas una cum Scriptura recipiunt, unanimis et concors sententia fuerit circa Messiae articulum. Hinc factum pariter est ut samaritani etsi longe ante captivitatem babylonicam a judaica tribu fuerint separati, nec alios libros præter Pentateuchum, ut plerisque saltem eruditis placet (c), tanquam sa-

genere rectius quam de uno ex mulieris posteritate intelligendum contendit. Quod commentum jamdiu everterat Petrus Cunæus diss. III, de Republ. Hebræor. in Thesaur. Ugolini, tom. III, pag. 819, et p. 829 seq.

(a) Προϊδοῦσα δὲ γραφὴ ἐστὶ ἐκ πίστεως δικαιοὶ τὰ ἔθνη ὁ Θεός, προαναγγέλλουσα τῷ Ἀβραάμ ὅτι εὐλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη. Et clarius adhuc v. 14.

(b) De antiquis Judæorum sectis scribit Josephus Flavius Antiquit. lib. XVIII, cap. II. De recentioribus inter ceteros agit Jo. Bened. Carpzovius in Introductione in theologiam judaicam quam præfecit novæ a se adornate edit. Pugionis fidei Raym. Martini. Lips. 1687, cap. III, IV, V, in quibus ostendit sectam rabbanitarum pharisæorum esse propaginem, karaitarum seu karæorum surculum esse sadduceorum. Per Europam longe lateque diffusi sunt rabbanitæ, qui præter Mosis et prophetarum scripta, traditiones orales in opere thaludico comprehensas amplectuntur, quas velut fidei et vitæ regulam pari pietatis affectu cum lege scripta suscipiendas atque observandas credunt. Karai vero in Orientis potissimum regionibus cogniti sunt: et legem oralem et traditiones thaludicas omnes rejiciunt, nec aliud fidei fundamentum recipiunt quam scripturam Mosis et Prophetarum. De Karais cf. diss. Jac. Triglandii, et Diss. Levis Warneri in Thesaur. Ugolini, t. XXII.

(c) Cf. Jo. Morinum Exercitation. ecclesiast. in utrumque samaritanorum Pentateuchum. Paris, 1651.

cro admiserint, attamen et ipsi fide in Messiam promissum nutriebantur, ut patet ex Jo. IV. 25-29. 42. Hinc demum factum est, ut neque Christus, neque Apostoli disputare circa ejusmodi promissionem aut expectationem aliquando debuerint, cum omnibus ea ætate persuasum fuerit tum promissum a Deo Messiam fuisse, tum ejusmodi promissionem omnium votorum objectum fuisse, ut ex levi Novi Testamenti inspectione comperitur fit.

Adeo vero pervulgata erat hæc Judæorum persuasio ut percrebuerit per omnes regiones orientales, ut testantur Suetonius et Tacitus. Prior enim scribit: « Percrebuerat oriente toto *vetus et constans opinio*, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur » (a). Alter vero « Pluribus persuasio inerat, inquit, antiquis sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judæa rerum potirentur » (b). Quare receptum erat ex antiqua traditione illud gentium omnium orientalium theologiæ principium de mediatoris alicujus expectatione ad perturbatum ordinem inter Deum et genus humanum restituendum. « Quapropter, inquit Plutarchus, et antiquissima hæc descendit ex theologis et legislatoribus tum ad poetas, tum ad philosophos opinio, quæ a nullo certo auctore habet principium; persuasionem autem firmam et indelebilem, neque in sermonibus tantum, neque in traditionibus, sed in mysteriis et in sacrificiis et apud barbaros et apud græcos multis in locis pervulgatam, » etc. (c), nempe de Mediatore inter duo principia, quem persæ *Mithram* vocant. Cujus traditionis documenta apud ægyptios, chaldæos, zabianos seu sabæos, græcos, romanos, imo et inter indos, sinenses, japonenses, americanos ipsos aliosque populos extantia viri docti exhibent (d), adeo ut vere scribere potue-

Exercitat. I, § 8. Jahn. Archæologia biblica Vienna 1814, § 326.

(a) Sueton. in Vespas., c. IV, ed. Taur. 1824, opp. t. II.

(b) Hist. lib. V, c. XIII.

(c) Διὸ καὶ παμπάλαιος αὐτῆς κάτεινος ἐκ θεολογῶν καὶ νομοθετῶν εἰς τε ποιητῶν καὶ φιλοσόφων δόξα, τὴν ἀρχὴν ἀδέσποτον ἔχουσα, τὴν δὲ πίστιν ἰσχυρὰν, καὶ δυνατὴν ἀλειπτῶν, οὐκ ἐν λόγοις μόνον, οὐδὲ ἐν γράμματι, ἀλλὰ ἐν τε τελεταῖς ἐν τε θυσίαις, καὶ βαρβάρων καὶ Ἑλλήνων πολλοῦ περιεπερομένη κ. τ. λ. De Iside et Osiride opp. ed. fol. Paris. 1624. Tom. II. pag. 369. Deinde refert doctrinam de duobus principiis sibi invicem adversantibus ac de mediatore inter utrumque, quam adaptavit Zoroaster et ex eo persæ, aliique orientales et occidentales populi.

(d) Cf. Mémoires de l'Acad. des Inscript. tom. XXXI. Par M. l'Ab. Mignot. pag. 81. suiv. et pag. 207. suiv. Bibliothèque univers. Genève 1822. Tom. XX. littérature art. Religion. Tableau de l'état actuel du Christianisme sur le globe esquissé par Henri Zschokke. Quatr. extrait Amérique pag. 12. Hic tamen auctor utpote fanaticus protestans totus in eo est ut protestantissimum super catholicismum extollat. Hinc nullis mendaciis, calumniis et falsitatibus parcat ad finem sibi propositum obtinendum. Maurice's hist. cf. Hindostan vol. II. book IV. omnium hanc fuisse indorum persuasionem evidenter ostendit. Eandem obtinuisse

rit doctus Prideaux, quod expectatio, sive necessitas cujusdam mediatoris inter Deum et homines fuerit usque ab initio opinio prævalens *penes omnes populos* (a).

Quibus delibatis, sic instituiamus argumentum. Hic agitur de quæstione facti; num scilicet Deus promiserit nec ne in lege præsertim aliquem Salvatorem seu Messiam, et utrum Hebræi quovis tempore eundem expectaverint. Jam vero ex allatis documentis utrumque certissime constat; constat igitur quod ostendendum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

I. Obj. 1. Expectatio et fides in Messiam non fuit nisi consolatrix quædam spes superiori tantum ætate in vulgus Hebræorum sparsa, atque 2. ex lectione prophetarum derivanda temere derivata, de qua nihil habetur in decalogo, nihil in Levitico, ceterisque libris mosaïcis, in quibus omnia hebraica religionis summa capita continentur, 3. nupiam dicitur: *credite in Messiam*. Ita quidem Voltairius (b) et ante ipsum Orobios (c); quare 4. dicendum est subdit Salvador (d) Salvatorum sive Messiarum ideam ortam esse ex divinis minis atque promissis, 5. quæ cum non contineatur conceptis verbis in quinque libris fundamentalibus, nullo modo constituit fidei articulum respectu Hebræorum, quidquid contra contendat Maimonides, qui vel eo nomine vapulat a Rabbi Josepho Albo, quod nimis amplificaverit numerum articulorum fundamentalium legis mosaicæ, inter quos retulit expectationem Messiae. 6. Albo prævit Hillel ante Hierosolymorum excidium Synedrui præses, qui contendit Israelium nullum habere, quem expectet Messiam. Ergo.

R. Ad 1. N. cum ejusmodi assertio sit contra factum. Alioquin nulla jam ratio dari posset unanimis illius sectarum omnium conspirationis atque consensus in hoc fidei articulo admittendo, et quod caput est, samaritanorum, qui quatuor circiter seculis

apud sinenses evincit auctor vitæ Confucii ex Siam-Kiao, et P. Intorcetta S. J. in vita Confucii, eadem est theologia japonum, mexicanorum, etc. Cf. etiam Ramsay Discours sur la mytholog. Paris 1728. pag. 9. suiv.

(a) Hist. des Juifs. I. Part. liv. 3. t. I. p. 395. Paris 1726.

(b) Loco jam citato.

(c) Apud Philippum a Limborch de Verit. relig. christ. Amica collatio. Goudæ 1687. In primo enim scripto dato ad Limborchium Orobios statim incipit: « Cum fides in Messiam redemptorem futurum non minus necessaria fuerit a mundi exordio, quam in Deum creatorem; imo magis, quia non potest esse fides in Messiam, quin supponatur Deus; maxime in Deum absque Messia; queritur quare Deus fidem in se, sum sapissime et clarissime Israeli commendaverit in universo V. T. et fidem in Messiam nunquam commendaverit in qua consistebat tota salus? Quod si fecit, petitur, ut assignetur locus aliquis, in quo Deus mandaverit, aut dixerit expresse, quod fides in Messiam est absolute necessaria ad salutem generis humani, adeo ut, qui non crediderit, damnandus esset, » etc.

(d) Loco cit.

apte captivitatis babylonicæ tempora a Juda tribu schisma fecerunt, quique ex verisimiliori sententia non alios libros ut sacros admittabant præter Pentateuchum. Eidem non accessisset totius fere orbis consensus, indorum præsertim atque sinensium, qui vel a primis imperii temporibus eam repetunt traditionem.

Atque hinc falsum esse eruitur quod 2. de spe adiciebatur comparata ex lectione prophetarum, tum quia ejusmodi assertio gratuita est sine tabulis ac sine testibus prolata, tum quia quæ ex Pentateucho monumenta protulimus, et quæ mox iterum subiciemus eam prorsus convellunt; tum denique quia universæ israeliticæ gentis persuasioni ac traditioni aperte adversatur.

Mirum autem esse non debet quod nulla occurrat Messiae mentio in decalogo, cum in eo agendorum potius regula tradatur quam credendorum; quæ animadversio æque Levitico quadrat; hic enim liber totus in eo est ut sacerdotes et levitas instituat circa exteriorum mosaicæ religionis cultum ac caeremonias.

Falsum denique est in reliquis Moysis libris Messiae promissionem minime reperiri. Etenim præter palmaria loca, quæ adduximus ex Gen. III. et XLIX. luculenta sunt Moysis verba Deut. XVIII. 15. « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut mesuscitabit tibi Dominus Deus; ipsum audies; » tum verba Dei ipsius ibid. 18. « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præceperò illi: qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. » Quæ quidem verba de Messia, non de prophetarum successione, ut ait Salvador post Orobium, esse intelligenda non modo veteris synagogæ Rabbini (a), sed et universa judaica natio ostendunt; ex hujus enim persuasionem factum est ut Petrus et Stephanus, ille Act. III. iste cap. VII. 37. palam ac publice pro concione de Messia illa exposuerint nullis repugnantibus Judæis, quos alloquebantur. Nec vero alius, excepto Messia, propheta surrexit post Moysen in Israel, qui sive potestate, sive prophetandi vi vel Dei familiaritate similis Moysi dici poterit, prout Deut. ult. v. 10. adnotatum est (b). Unde colligitur Moysen de Messia fuisse

(a) Cf. Raym. Martini O. P. Pugio fidei cum observat. Jos. de Voisin edit. Carpzovii p. 161. 474. præsertim vero p. 886. § IX. seqq. Hac autem editione deinceps utar.

(b) Cf. Eusebium Demonstr. Evang. lib. III. c. II. ubi multis prosequitur similitudinem quæ inter Moysen et Christum intercessit, ac præcipue potestatem, ac munus legislatoris, et redemptoris.

In Catechismo judaico quem ex editione Synagogæ amstelodamensis hebraice ad verbum recensitum edidit Carpzovius in introduct. ad Theologiam judaic. c. IX. et inscribitur ספר לקח חיים Liber doctrinæ bonæ; art. VII. proponuntur quatuor res, quibus Moyses inter prophetas ceteros excelluisse dicitur, quas quilibet illie recollere poterit pag. 48. seq. Id ipsam

locutum; quod Christus ipse testatus est Jo. V. 46. Judæis dicens: « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. »

Ad 3. D. Conceptis verbis C. æquivalentibus N. ut patet ex modo dictis. Adde obligationem credendi in Messiam oriri ex ipsa manifestatione seu revelatione promissi Messiae, quemadmodum oritur obligatio credendi in Deum ex ipsa ejus manifestatione, etsi nullibi scriptum in lege sit: *credite in Deum*, ut adversus Orobium animadvertit Limborchius (a).

Ad 4. N. Orta siquidem est Messiae idea, seu cognitio et expectatio ex promissione protoparentibus facta Gen. III. ac sæpius iterata Abraham, Isaac, Jacob, Judæ, etc. juxta ea quæ in probationibus adducta sunt; divinæ porro comminationes atque pollicitationes ad summum eam jamdiu animis præconceptam aluerunt atque foverunt. Prophetæ numquam destiterunt ab eodem Messia prænunciando, ut ex dicendis luculentius constabit. Talia sunt fundamenta ejusmodi expectationis, quæ tam altas radices in universa Hebræorum gente fixerat, ut nunquam divelli potuerit. Hæc præterea exceptio falso principio laborat, nempe Messiae missionem non habuisse ex Judæorum opinione nisi solum objectum temporale, cum tamen de contrario omnino constet (b).

Ad 5. N. Expectatio siquidem Messiae seu totius mosaicæ religionis caput ab omnibus tum antiquioribus tum recentioribus Judæis spectata fuit, nec nisi serius ab incredulis nonnullis in dubium ea revocata est, ut quemadmodum animadvertimus, nunquam Christus aut Apostoli disceptare debuerint de ejusmodi articulo, sed eo extra omnem dubitationis aleam ab omnibus prorsus tanquam principii loco constituto, controversia agitabatur de sola Messiae persona. Quare non temere ac perperam, sed totius synagogæ sensum expressit Maimonides dum art. XII. statuit ab omnibus et singulis Judæis firma fide credi oportere *in adventum Messiae* בראשית המשיח et in ipsorum libris symbolicis declaratur (c), ac demum

præstat eleganter Rab. Abarhanel apud Jo. Meyerum tract. de Temporibus sacris, etc., in Thesauris Ugolini tom. I, p. 535. Cf. M. G. Frid. Meinhart sub Frischmutho Dissertat. De Propheta Mosi Pari Dent. XVIII. 15, quæ extat in Thesauris theologicis-philologicis, sive sylloge dissertationum ad selectiora et illustriora V. et N. T. loca Amstelodami 1701. vol. I. p. 584. seqq.

(a) Op. cit. Resp. ad primum quæsitum.

(b) Hoc magis ex dicendis in decursu tractatus constabit. Interea cf. Luc. III. 15. Jo. I. 19. seqq. IV. 25-29. 42. VI. 14. et alibi; ex quibus luculentissime patet Judæos et samaritanos tempore Christi nondum exuisse ideam Messiae spiritualis, thaumaturgi, prophetae, etc., etsi utramque ideam spiritualis et temporalis regni conjungerent. Cf. etiam Raym. Martini Par. III. cap. IV. § 4. et alibi. Verum de hoc postea.

(c) Cf. Catechismum judaicum cit. ubi inter articulos fundamentales fidei ponitur *articulus duodecimus* « Deum missurum esse Messiam, qui Redemptor fu-

in Thalmude Tract. *Sanhedrin* cap. Chelek diserte legitur; « Omnes prophetæ non vaticinati sunt, nisi de diebus Messiae (a), » ut cetera jam commemorata præteream. Hinc etiam colligitur immerito ac per summam injuriam a Josepho Albo Maimonidem reprehendi.

Ad 6. D. Contendit Hillel nullum jam habere Israellem quem expectet Messiam, postquam is advenerat, C. antequam advenisset N. Porro Hillel ex eorum numero erat, qui noluerunt Messiam in Christo Jesu agnoscere, in quem ut infra ostendemus omnes epochæ a prophetis assignatæ pro Messiae adventu conspirabant. His vero elapsis, de ulteriore Messiae adventu desperans jure inferebat nullum jam habere Israellem quem expectet Messiam (b). Inde autem novum potius exurgit argumentum ad evincendum per id temporis omnes fuisse in expectatione Messiae.

II. Obj. 1. Opinio illa de Messia, id est regni felicitis conditore, quem hoc nomine in libris V. T. nondum appellatum invenimus, diviso demum in duo regna imperio israelitico e spe meliorum temporum (Joel III. 2.) et seculi quasi aurei animis informatam esse videtur, quanquam notiones et spes Messianæ improprie sic dictæ, hoc est futuram quandam gentis israeliticæ conditionem felicissimam præsentantes, patriarcharum ævo jam adscriptæ reperiuntur (Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. coll. Eccli. XLIV. 22. 23.). 2. Primus enim Davides populum dissidiis et factionibus perturbatum consociarat et ad potentiam opulentiamque egregie evexerat. Sed aureum illud seculum facta imperii in duo regna divisione evanuit. Non igitur mirum erat, redintegrandi ejus spem in regia Davidis domo poni sensimque aliquem ex ejus posteris felicitis theocratia instauratorem futurum *divinari* (c). 3. Quo

turus sit populi sui, et quem, etiamsi retardet adventum, expectare teneamur. Qui quidem Messias e semine David sureulus Isai Bethlehemitæ erit, idemque judicio stabiliet terram, et judicabit gentes multas, etc. Hinc R. Moyses filius Maimon in suis *Hilcot*, id est, *sententiis in sophetim* sive *judiciis* tract. *de Regibus*, cap. XI. aperte pronunciat: « Quicumque non credit in Regem Messiam, vel qui non expectat adventum ejus, non solum est incredulus prophetis, sed etiam legi et Mosi doctori nostro. » Integrum textum exhibet Martini op. cit. part. III. dist. 5. c. IX, § 5. pag. 766.

(a) כל רבבאים כלם לא נתבאו אלא לימות המשיח. Alios textus cf. apud Martin. pp. 547 et 674.

(b) En verba ipsius Hillelis ex Thalmude Tract. *Sanhedrin* seu de Synedriis, prout prostat c. XI. editi. Cocceji excerpt. XXXI. p. 351. et excerpt XXXVI. p. 359. און משה לישאל, און כלל כל הקצין: « Expirarunt omnes termini: jam nullus Messias pro Israele. » Et hic deprehenditur mala fides Salvador, qui tamen magni facit auctoritatem Thalmudis De Thalmude inter ceteros legi potest De Voisin in Praef. ad præmium Pugion. fidel.

(c) Mich. V. 1. seqq. Is. IX. 5. 6. VI. XI. coll. VI. 2. Ezech. XXXIV. 25. seqq. XXXVII. 21. seqq. Jerem. XXXIII. 3. XXX. 9. XXXIII. 15. Ose. III. 5. Zacch. III. 8. VI. 12. ubi nomen מצחב de Messia dictum.

proclivius deinde successu temporis summa republica ad exitum ruere videbatur, eo propiorem spei hujus implendæ conditionem fingeant (a), et pro illa, quæ Hebræorum mentibus incederat, theocratia notione, novum imperium, non civili solum et publico jure, sed morum quoque innocentia et religionis sanctitate fundatum iri existimabant.... Apud prophetas, qui vel proxime ante exitum babylonicum extiterunt, vel ei fuerunt æquales, vel post reditum ex eo vixerunt, itemque in libris apocryphis illam feliciorum temporum spem universe adumbratam videmus (b). 5. et in Danielis vaticiniis pressius definitam novisque augmentis cumulatam. In his enim imperium aliquod describitur *ideale theocraticum*, quo *symbolice* adumbratur ficta *filii hominis* (בראשית) persona, Judæis destinatum (c) ut quinta orbis terrarum monarchia (d), post multas calamitates eventura, eaque æterna et immutabilis et cum mortuorum resurrectione et judicio extremo conjuncta (e). Iste vero filius hominis, qui in nubibus apparet fingitur (f) pro symbolo totius monarchiæ quintæ, non pro Messia habendus est. Ita rationalistæ (g); ergo Messiae promissio et expectatio non est nisi vana spes idealis orta ex melioris conditionis desiderio, ac prophetarum poeticiis fictionibus fota (h).

R. N. A. Quod consutum non est nisi ex ludico imaginationis æstu absque ullo documento, cui facta luculentissima adversantur, quodque sacræ scripturæ evertunt, traditiones judaicæ gentis et traditiones omnium populorum explodunt, ut partim ex allatis documentis constat, partim vero ex dicendis apertius adhuc constabit.

Ad 1. N. suppositum gratis ab adversariis confictum quodque se ipsum destruit, opinionem scilicet de Messia informatam esse e spe meliorum temporum, ea enim informatam est ex Dei revelatione, quæ Gen. III. homini lapsio promisit reparatorem non temporalem, seu felicitis regni et aurei seculi fundatorem in sensu adversariorum, sed spirituales, qui nempe dæmonis destrueret imperium, et veram religionem instauraret et redintegraret; prout ejusmodi oraculum, uti jam diximus, et universa intellexit antiquitas, et traditioni commissum est. Nec aliam Messiae notionem ingerunt pollicitationes Abraham ceterisque patriarchis factæ in locis Genes. citatis « In semine tuo benedi-

(a) Agg. II. 6-9. 21-23. Zach. II. 9-17. III. 8-10. VI. 12-15. Mal. II. 17. III. 6. III. 15-18.

(b) Sophon. III. 9-20. Is. LX. LXVI. Agg. II. 6-9. Zach. XII-XIV. Mal. III. 1-6. 19-24. I Mach. II. 57. Bar. IV. 21. seqq. V. Eccli. XXXII. 18. 19. 53. XXXVI. 12-17. XLIV. 15. XLVII. n. Tob. XIII. 7-18. XIV. 4-7. II. Mach. II. 18. Quinque hi postremi libri ii sunt quos adversarii nomine apocryphorum commemorant.

(c) Dan. II. 44. 45. VII. 27. seqq.

(d) Ib. II. 44. VII. 26.

(e) Ib. XII. 2.

(f) VII. 13. 14.

(g) Cf. Wegsch. § 120. 6.

(h) Ib. §. 50. not. c.

centur omnes gentes terræ, » ut exponit apostolus Gal. III. 8. per fidem in Messiam: quem rationalistæ bono animo ferent, ut ipsis præferamus in sacrarum litterarum expositione.

Ad 2. N. iterum tum quia expectatio Messiae longe Davide anterior est, tum quia Davides ipse sæpius in psalmis de Messia rebusque ab eo gerendis loquitur, Christo ipso testante (Matth. XXII. 42. seqq. Luc. XXIV. 33.) testantibus insuper evangelistis, et apostolis passim, quos rursus præferimus bona ipsorum pace, omnibus rationalistis; fatentibus ipsis Judæis, qui plures psalmos de Messia semper intellexerunt (a). Si igitur ante Davidem scriptura loquitur, de promissione et expectatione Messiae, si Davides ipse sæpe de eodem Messia loquitur, evidens est non ex divisione israelitici imperii spem ortam de aliquo Messia ex Davidis posteris nascituro, vel sensim cœpisse Hebræos *divinare*, ut profani homines loquuntur, felicitis theocratia futurum instauratorem, multo minus ipsum Davidem in vitam restitutum iri juxta parsismi doctrinam (b).

Ad 3. N. ex causa quam adversarii autumant, factum esse ut Judæi *fingerent* propiorem spei hujus implendæ conditionem, sed eo ferventiori desiderio præstolabantur Messiae adventum, quo ad exitum suum propere videbant terminos epochæ ipsius adventus; alioquin multo magis debuissent Messiam

(a) Cf. Raym. Martini op. cit. Part. II. dist. I. c. VII. § 14. seqq. Part. III. Dist. III. c. XV. § 1. et alibi passim.

(b) Sic enim Rosenmüller in Scholiis in V. T. Part. IV. vol. II. Lips. 1810. ad Ezech. XXXIV. 25. indicatis ejusd. Ezech. XXXVII. 24. et Jerem. XXX. 9. Ose. III. 5. locis in quibus Messias *Davides* appellatur, scribit: « Atque locis hisce significari illum ipsum *veterem Davidem*, quem sperant futuro aliquo tempore regnum præsum, sed multo amplius atque augustius restauratum, minime improbabile fuerit. Alere enim poterat ejusmodi spem opinio illa veteribus communis fere de rerum omnium *zoroastriæ*, revolventibus sese et redituris atatibus. Certe huic opinioni consentanea erat veterum persarum expectatio de reditu ultima mundi ætate rege vetere Paschutan, Gustaspi filio, quo Gustaspo regnante atque favente suam doctrinam promulgaverat Zoroaster. Illum igitur Paschutan, qui et ipse olim doctrinæ Zoroastriæ in provincia Vardjenguerdica ministrum se præbuerat, credebant persæ extremis temporibus veterem ac puram religionis doctrinam, præsumque persicum regnum ita esse restitutum, ut omnium abundantia et prosperitas, atque pax universa terrarum orbem sint beaturæ. » Vid. *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse*, par Sylvestre de Saey. Paris, 1795. in-4. p. 94. seqq. Verum enim vero quis ignorat, Zoroastrum plura transtulisse in libros suos ex libris Judæorum? Doctrinam vero *palingenesis* et *apocatastasis* non esse nisi corruptionem doctrinæ jamdiu apud Hebræos receptæ de futura corporum resurrectione, ut suo loco ex Job. XIX. 25. sqq. liquet. Sane Ezechiel, Jeremias, multo magis Oseas ipsum Zoroastrum præcesserunt juxta saniores criticos. Cf. Feller. Dict. Hist. art. Zoroastre. Porro cit. loca intellecta semper fuisse a Judæis de Messia *filio* David, non autem de ipsa Davidis veteris persona, ut inflati ac vani ejusmodi homines autumant, ostendit Mart. op. cit. P. III. dist. III. c. III. § 15. seqq. Cf. item Sanctium S. J. in Ezech. in h. l.